

---

Transcription of the Dissertation of  
Carolus Maria Bernardus Pross  
on Dysentery (1838).

Version no 0.4 (2010-05-06)

[info@pross.nl](mailto:info@pross.nl)

---

DE  
**DYSENTERIA.**

DISSERTATIO  
INAUGURALIS MEDICA  
QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDENSIS  
IN  
UNIVERSITATE LITERARIA  
FRIDERICA GUILELMA

AD SUMMOS  
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES  
RITE IMPETRANDOS  
*DIE VI. M. AUGUSTI A. MDCCCXXXVIII.*

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR  
**CAROLUS MARIA BERN. PROSS**

GUESTPHALUS.

**OPPONENTIBUS:**

**A. STEGEHAUS**, MED. ET CHIR. DR., MED. PRACT.

**W. JUETTING**, MED. ET CHIR. DR.

**H. DE FUERTH**, CAM. CAND.

**BEROLINI,**  
TYPIS NIETACKIANIS.

**AVUNCULO**

**OPTIMO, DILECTISSIMO  
DOCTISSIMOQUE**

**MICHAELI WEGEHAUSEN,**  
**MEDICO MILITARI SUPERIORI,**

**NEC NON**

**PARENTIBUS**  
**OPTIMIS DILECTISSIMIS**  
**AD CINERES USQUE COLENDIS**

**H A S C E**

**S T U D I O R U M P R I M I T I A S**

**PIO GRATOQUE ANIMO**

**D. D. D.**

**AUCTOR.**

## MORBI NOMINA.

Dysenteria (a verbis graecis *δυσ* et *το εψτεσον*).

- Syn. Germ. Ruhr, rothe Ruhr  
Belg. Leop. Roodeloop.  
Dan. Blodgang, Blodsot  
Angl. Dysentery. Bloody flux  
Gall. Dysenterie, Flux de sang  
Ital. Flusso, Pondi. Mol si pondi Cacasangue

## MORBI SYMPTOMATA ET DECURSUS.

**D**ysenteria est affectio intestinorum modo spastica, modo catarrhalis-rheumatica praecipue partis inferioris, quae cum doloribus vehementibus, crebriore, difficili, maxime autem frustaneo tenesmo et educatione materiae mucosae sanguineae aut etiam puriformis, nec non cum febris generis conjuncta est. Inter varias causas dysenteriam efficientes constitutio epidemica primum locum obtinet, qua de causa eam maxima ex parte epidemicam observamus. Plerumque sub finem aestatis dysenteria vera nobis obvenit, pergitque per autumnum, quum aër non raris temperaturae mutationibus expositus sit; qua

de causa etiam rusticos hoc tempore dysenteria affectos invenimus; haec etiani causa esse videtur, qua in regioni- bus zonae torridae, ubi illae mutationes crebriores ant *subito* occurrunt, quam saepissime observatur. Quum autem aliis quoque anni temporibus frigus calorqne sae- pius mutantur, iniasma quoddam adsit, necesse est. Per- frictiones praecipue inferioris corporis partis et transpi- rationem turbatam praecipue dysenteriam sporadicam efficere constat. Exhalationes paludosae aliaeque aëris corruptiones nec non aqua putrida ad causas numeran- dae sunt, quae, etsi eam non gignere videntur, attamen graviozem reddunt; praesertim cum aliae causae cum illis concurrunt. Quapropter in nosocomiis et castris humi- dis, regionibus paludosis arcibus obsessis ideo grassatur, etsi momentum non adsit causale. Abusus pomorum quoque alia causa dysenteriae habebatur.

Quamvis dici non possit, his causis dysenteriam effici, tamen negare non possumus ad dysenteriam in- gressuram facilius eo disponi, quod tractus intestinalis vehementi ac iniucundo modo irritatur, irritabilitate ejus hac ratione aucta ad gignendam dysenteriam incitatur. Causam dysenteriae in solo pomorum abusu quaerere nefas est, quia temporibus, quibus nulla pomorum species aderat, observata est, quare alii medici, in pomis et fru- ctibus robigine corruptis causam, ex qua dysenteria evol- vatur, vane opinabantur. Ex vino novo acidulo, legumi- nibus insectorum aculeo depravatis et carne animalium aegrotorum orta esse videbatur.



Bilis acris, prae aliis anni temporibus, aestate illam formandam non parum adjuvat, et certe valet multum, quod attinet indolem et complicationes, licet causam pri- mariam eam aestimare permittatur. Denique arthritis et rheumatismus chronicus, retrogressa exanthemata vel ul- cera cito rejecta, haemorrhoides suppressae, menostasia, lochiorum suppressio et alii stimuli tractum intestinorum sympathico modo afficientes dysenteriam sporadicam pro- creare vel conformationem sustinere possunt. Nihilomi- nus causas, quas modo nominavimus, tantum diarrhoeas perficere, analogiam cum dysenteria praebentes, dici pot- est, quae ideo diarrhoeae dysenteroides nominari possunt.

Non minus, quam aliorum morborum epidemicorum dysenteriae aetiologia est incerta; id quidem certum est, si causa praedisponens epidemica aut endemica exculta sit, tum momenta causalia externa saepe minima, exempli causa perfrictiones, diaetae neglectio, animi affectiones et alia, dysenteriam perficere valere, imo interdum momen- tum causale inveniri non potuisse.

Num dysenteria per infectionem propagari possit, necne sententiae discrepant.

Pemperton contagionem negat; (libro suo p. 79). Auctores alii ei non assentiuntur, sed in epidemiis ve- hementibus ac malignis infectionem locum obtinere posse cre- dunt. Vehiculum contagii sudor atque materia per alvum deposita habetur, sed ex observationibus medicorum propagationem ventos tum temporis regnantes sequi et secundum situm regionum specialem ad singularia oppida

et urbium vias cursum dirigere, prodiit, quare certum est, venenum quoddam animale non solum contactu pro. pagari, sed etiam aere pestiferis effluviis referto.

Dysenteria uec ulli aetati nec sexui parcit, virog mulieres, infantes, adultos atque senes invadit, imo lactantes non sunt tuti, quin ea corripiantur. Debiles non minus dysenteriae expositos quam viros robustos esse, experientia docet. Quaestio, num dysenteria compluries invadat homines, asserenda est, nam exempla, homines bis aut quater dysenteria affectos esse, nota sunt.

De causa proxima dysenteriae variae definitioDes, quae rei plus minus lucis adferunt, exstant. Ex phaenomenis atque decursu morbi causam proximam membranae mucosae recti ac coli inflammationem aut aliam irritationem harum partium inflammatoriam esse prodit, quacum affectio spastica conjuncta est.

Secretio alvi morbosa verisimiliter ab inflammatione pendet, modo aucta modo attenuata, ita quidem, uti secretio mucosa aliis in inflammationibus catarrhalibus, ita ut mucus qualitatem serosam vel lymphaticam ostendat, et tunc dysenteria alba vocatur; modo autem magis etiam depravata, ut mucis loco sanguis verus per alvum secernatur, et tunc dysenteriam rubram, cruentam nominamus. Ut in aliis inflammationibus interdum secretio omnino cessat, sic etiam in vehementissimo huius morbi gradu per alvum nil educitur, et tunc dysenteria sicca dicitur.

Interdum repente hominem invadit, saepe prodromi

anteunt. Signa sunt: frigus cum calore fugaci alternans, horripilatio, lassitudo, pigritia, somnus inquietus, pulsus parvus, spasticus, inaequalis; lingua oblecta sicca, sitis adaucta, appetitus ciborum nullus, nausea et vomitus, flatulentia, dolores abdominis secantes: obstructio alvi, non raro autem profluvium. Initium morbi cum febre conjunctum est; febris catarrhali vel rheumaticae similis interdum quoque symptomata febris gastricae ostendit. Saepe febris fere inobservabilis est, sub vesperem tantum aucta, calor et anxietas adcedit. Irritabilitas intestinorum adeo aucta, ut pressio manu sive digito in alvum facta dolores provocet, substantiae sive fluidae sive solidae consumptae statim intestina ad spasmos dolorificos et ad alvi excretionem irritant.

Stabilissimum symptoma tenesmus est, quod parum gradum cum morbo tenet, et per longius tempus remanet, quam alia symptomata. Systema uropoeticum tenesmo quasi occupatur, inde plerumque dysuria oritur. Morbus, quum maxime vehemens est, superioribusque in partibus intestinorum locum habet, signa enteritidis cum meteorismo existunt.

Crebra desidendi cupiditas omnes vexat, nihilominus excretae materiae multo pauciores sunt, et eo rariores fiunt, quo diutius dolores durant ac quo magis amplificantur. Excrementa mucosa vel aquosa serosa, lymphatica inveniuntur, quibus odor peculiaris est, saepissime striae quoque sanguineae admixtae sunt, paulatim excrementa cruentiora fiunt, modo sanguis purus est,

## 12

haemorrhagia in statu inflammationis vehementi legrotum, levare videtur.

Quo prior vigor morbi, quo malignior ejus indoles, eo peior aspectus odorque excrementi, odorem fere cadaverosum spargit. Nonnunquam excrementa membranosa vel globosa, quantitate autem parva inveniuntur, saepe pus his admixtum invenimus. Organismis respirationis non parcitur, tussis rauca, sicca ostendit, superiores intestinorum partes ab inflammatione correptas esse, et aegrotum majus periculum instare. In morbi incremento dolores vehementissimi, tenesmus atque alvi depositiones frequentissimae, quibus insomnia sequitur, vires plane exhauriunt. Pulsus debilior fit, parvus, spasticus, irregularior; vomitus vehemens adcedit; fluida biliosa, acida malum aspectum habent; stranguria augetur, pharyngis quoque strangulatio et ejusmodi spasmi adveniunt; extremitates refrigescunt, sudores frigidi, nonnunquam petechiae atque aphthae erumpunt.

Singultus, subsultus tendinum, et non raro syncope non desunt.

Pulsus filiformis, vix tactu percipi potest. Aegrotus in delirio murmurante vel in stupore comatoso jacet; facies fit hippocratica nec mors longe abest.

Si morbus in exitum faustum pergat, dolores deminuantur, excrementa rariora, majori consistentia, faecibus similia fiunt et sensim colorem naturalem recuperant; sudor calidus apparet, urina, in qua antea nubecula erat, copiosior absque dolore mittitur; colorem magis saturatum

parum turbidum praebens. Pulsus mollior plenior majorem vim accepit, appetitus ciborum redit, ac morbus modo per lysin modo per crisin sudoris urinaeque in reconvalescentiam migrat.

Sed si reconvalescentia non subsequitur, dysenteria in varios morbos transire potest, aut metastases deponere, praecipue si male tractata est vel si medicamina adstrigentia nimis mature adhibita sunt. Morbi locales oriuntur, exempli causa haemorrhoides coecae, inclinatio ad ani prolapsum, concoctio debilitata, diarrhoea chronica, lienteria, fluxus coeliacus nec non obstructions. Nonnunquam dysenteria vehemens debilitatem universalem, phthisin, hydropem aut morbos hepatis chronicos adfert. Secundum Richteris observationes angina catarrhalis, tussis catarrhalis simplex, pustulae scabiosae acutae ac chronicae, ulcera intestinorum vel aliarum partium, saepe abscessus parotidum aut glandularum inguinalium haud raro dysenteriae sequelae sunt. Morbi universales systematis nervorum, paralyses, apoplexia, imo amaurosis nasci possunt.

Decursus dysenteriae, si est acuta, inter septimum et vigesimum diem perficitur, sin autem lenis est, etiam prius debellari potest. Saepius autem in morbos chronicos transit.

### **SECTIO CADAVERUM.**

Eorum, qui mortem ex leviori gradu morbi obierunt, intestina, rectum praecipue finemque coli inflammatione

ysipelatosa, ad tenuia interdum proserpente, correpta deprehendimus; tunicas eorum tumidas atque telam cel- lulosam innumera percurrunt yasa, sanguine plns minus alienato turgescencia, eaeque partes non raro obductae cernuntur fluido quodam lacteo exsudato, caseosae quo- que consistentiae, quo fit, ut et inter se et cum aliis imi ventris visceribus conglutinentur. In corum, qui diem supremum ex maligna dysenteriae specie obierunt, inte- stinis alia loca gangraenosa, destructa, alia exulcerata, alia adhuc inflammata, facies eorum interna rubris, griseis, nigris maculis aspersa, aphthis et pustulis, velut variolis ortis, obsita et vasis sanguiferis pertexta, ulcera gangrae- nosa mesenterii depascentia ac glandulae tumidae indu- vatae sunt repertae.

Tunica viilosa colorem coeruleum ostendebat, porro suppuratio glandularum Brunneri et Pejeri ac desor- ganisatio omenti. Pringle totum anum sphacelo corre- ptum invenit, nonnunquam etiam colon, Cleghorn inte- stina quoque tenuia.

Mollitie, tumore et induratione deformatum inveni- mus lienem, pancreas, hepar, in quo vesica fellea inter- dum integra, fluidum quandoque contiunit spissnm, satu- rato ant palido tinctum colore. Abdomen tumidum ple- rumque, ineuntis affert putredinis vestigia.

### **SPECIES MORBI.**

Quum dysenteriam generaliter descripsi, nunc ad species notas me onverturus sum.

I. Gradum infimum tenet et ex minimis causis oritur diarrhoea dysenterioides, plerumque homines regnante constitutione epidemica invadit. Mucosae excretiones non tam frequentes in ea educuntur, febris vix adest. Paucis diebus cura recta adhibita in sanitatem redit, sin autem negligitur, in dysenteriam veram transit.

II. Dysenteria simplex cum sensationibus injunctis ventriculi atque abdominis, frigore et horripilationibus, lassitudine atque dolore periodico in regione umbilicali incipit, haec sunt prodromi excretionum alvi, quibus initio materia faeculenta deponitur. Faeces attamen in excrementis paulatim diminuuntur, donec dolore vehementi et saepissime redeunte, sensatione ustionis et tenesmo ani nihil aliud, nisi fluidum educitur, cui interdum sanguis purus admixtus est, quodque odorem peculiarem spargit. Excretiones alvi omni hora quadrante fiunt; nonnunquam carunculae in fluido natantes inveniuntur, et in infantibus prolapsus ani interdum nobis obvenit. Febris modo lenis modo vehementior se ostendit, interdum remissiones et noctu exacerbationes exhibet.

III. Dysenteria rheumatica cum symptomatibus rheumatico-catarrhalibus conjuncta, annis humidis, in quibus constitutio epidemica regnat, saepissime occurrit. Dolores in extremitatibus in nucha et dorso in auribus dentibusque non desunt. Tussis saepissime comes hujus speciei est. Celeberrimi autores Stoll et Richter hanc speciem rheumatismum intestini recti verum esse crediderunt.

Sedimentum latericium urinae, salivatio, nec non diarrhoea aquoso-mucosa nonnunquam crisin instituerunt.

IV. Alia est dysenteria mucosa pituitosa, saburalis ac verminosa, ubi febris pituitosa aut vermes intestinales morbum comitantur, symptomata propria fere nulla ostendunt. Causa occasionalis plerumque constitutio epidemica regnans, saepe saburra et vermes sunt

V. Dysenteria biliosa plerumque initio autumnii epidemica regnat in hominibus, qui ad morbos biliosos inclinant. Eandem sporadicam quoque observamus. Prodromi hujus speciei sordes biliosae sunt, quae in aliis morbis quoque obveniunt; neque tamen indolem biliosam morbo imprimunt. Febris saepe comitans facile cognosci potest, semper remittens est, et symptomata sunt gustus amarus, nausea continua, vomitus biliosus. Urina parca citrina, sedimentum flammeum deponens emittitur, excrementa interdum bilis mera sunt. Neglecta ad dysenteriam inflammatoriam et malignam transire solet.

VI. Si magnus gradus inflammationis adest, dysenteria inflammatoria nominatur, et ad talem gradum pervenit, in quo in maximis doloribus alvi nil excernitur, et mox omnia symptomata enteritidis conveniunt. Homines robustos sangnolentos, qui congestiones ad abdomen habent, saepissime aggreditur, tantummodo autem in epidemiis, et tum jam initio morbi indolem inflammatoriam observamus. Ex dysenteria biliosa et rheumatica oriri potest, si curis non consentaneis tractantur. Dolores



vehementissimos continuos uno loco alvi fixos secum fert. Creberrima sedendi cupiditas conjuncta cum vehementissimo tenesmo aegrotum vexat, qui tamen fere nihil secernit. Meteorismus, aphthae, singultus, rigor extrematum, collapsus virium, magna anxietas, convulsiones, cum syncope et torpore alternantes oriuntur, et subito viribus exhaustis dolores evanescent. Odor foetidissimus ex ore, asthma, ex ano repentes vermes internum sphacelum pronuntiant, et morbus interdum post quinque horas in mortem transit

VII. Si dysenteria indolem nervosam habet, nervosa, putrida, etiam maligna nominatur. In castris, nosocomiis et carceribus, alioque simili confluxu aegrotorum plurime haec species observatur, et tunc aestatibus humidis homines debiles cachecticos invadit, vires corporis celeriter depravat, quapropter magnas clades facit, praecipue ubi rationes aegroti non maximam munditiam et conservationem aeris recentis concedunt. Facies alienata, pulsus debilis irregularis, urina pallida aquosa, artuum trepidatio, spasmi, conscientia depravata, deliria, lingua sicca, vox rauca, similiaque symptomata animadvertuntur.

Tenesmus aegrotum fere semper vexat, excrementa sanguine dissoluto mixta frequenter excernuntur, et malignum odorem spargunt. Vires celeriter prostratae sunt, syncope cum singultu alternat. Sphacelus internus saepius vitam aufert. Si exitus faustior evenit, symptomata nervosa putrida inflammatoria deminuantur. Febris remittit et sudor calidus aegrotum occupat, excrementa non

*tam* frequentia sunt, appetitas ciborum redit, et RECONValescentia. nonnunquam septimo vel nono die intrat

VIII. speciebus nominatis, si neglectae ac male tractatae sunt, singula synaptonota remanent, et tunc dysenteria chronica nominatur. Induraciones mucosae intestinorum tunicae aut stricturas et ulcera adesse, erere licet.

### DIAGNOSIS.

Diagnosis dysenteriae plenumque sine difficultate et errore constitui potest. Diarrhoeam dysenteroidem saepe quidem a dysenteria vera discernere difficulter possumus, nam symptomata nonnullis casibus non sufficiunt; at tamen momenta causalia, constitutio epidemica et individualis nobis iucem dare possunt, Diarrhoea plenumque tenesmo caret, tormina et febris deaiderantur, excrementa faeculenta sunt Diarrhoea dysenteroides destituitur febris, dolores sunt modici, excretiones rariores et mucosae.

Morbus niger (melaena) homines, melancholicos, diathesi scorbutica laborantes et aetate proveciores agere creditur, et magnum, discrimen a dysenteria, habet, quia materies sanguini corrupto similis, nigricans, tenax, sordes acidae, non solum alvo sed vomitu saepe emittuntur. Lienteria morbus digestionis est, in quo motus peristalticus adauctus est, sedes rariores sunt, et ingesta eruda sine sanguine ejiciuntur, aegrotus at tamen, non febricitat. Fluxus. coeliacus haud frequens, semper sporadicus homines cachecticos et dyscraticos infestat. Inter-

dum quidem fluxus coeliacus aegros trahit, sed alios sub- inde praecipitat. Saepius hic morbus absque causa manifesta desisse videtur; sed leviori ex vitio jam denuo revertitur, ac tandem, maxime in senibus, in tabem, anasarca, ipsamque in mortem ruit.

In fluxu hepatico excrementa seroso-cruenta et aquae, in qua carnes nuper mactatae decaersae, ablotae fuissent, similia oculis nostris sese offerunt, vel materia saniosa, ichorosa, cruenta, carnea, bili interdum remixta, tractu temporis vero crassa et atra, per alvum excernitur.

Fluxus haemorrhoidalis periodos servat, febris caret, molimina praemittit, sanguis faeces dejectas sequitur.

Non tam ardua cholera a dysenteria distinguendū res est. Vomitus quidem et istius in principio, sed minus constans, minusque violentus, quam in illa, sub finem rarior occurrit. Frequentior longe saepiusque epidemica dysenteria est, ac seriorem in autumnum extenditur. Copiosiores in hac, etsi tenesmus in cholera ubique non desit, deponuntur fluidissimae materiae. Febrilis, si non solum pulsum respicimus, dysenteria ubique morbus est; in cholera, sub insigni indole pulsum, tantis sub nixibus, angustiis, frequentia excrementorum febris tamen exulat, et vomitu alvi fluxu ad artis praecepta sedatis, mox placida sanguinis circulatio redditur, ac turbae, quae febrem mentiebantur, disparent. Promptissime, nisi recta adhibita methodo, cholera exstinguit hominem, et, quasi utrem inversum, contentis privat liquidis: etsi vero dy-

nteriae quoque cito lethalis habeantnr exempla : tardior tamen plerumque ex ista est interitos.

### PROGNOSIS.

Prognosis hoc in morbo momenta, tum ex aegroti praegressa conditione, febris morbum inchoantis ex indole, tum ex cognito gradatim epidemicae constitutionis characterere, ac tandem ex serie et successione symptomatum, eruenda sunt.

Dysenteria fere semper periculosa est, namque morbus est gravis et exitus malus non raro evenit Periculum in dysenteria simplici et rheumatica non tantum est, si jam initio cura consentanea tractantur, Dysenteria cum inflammatione intestinorum vehementi conjuncta semper mala; quanto inflammatio, tanto periculum augetur; nam gangraena metuenda est, si vomitus, singultus et dolores vehementissimi, si abdomen leviter tangitur, vel meteorismus et alia symptomata inflammationem magnam indicantia exoriuntur, aut si clariora ejus symptomata adsunt, e. g. pulsus parvus, cutis frigida, sudor viscidus, tunc mors haud dubie iutrabit. Dysenteria nervosa, putrida omnium est perieulosissima, quapropter maligna quoque nominata. Symptomata, quae maximum periculum indicant, jam ex morbi descriptione prodeunt Quod attinet ad colorem excrementorum, num sit albus an cruentus, discrimen magnum in prognosi non adest, excrementorum qualitas, ni totam aegroti constitutionem contempleris, nil facit ad rem. Epidemiae aestate vel autumno regnan-

tes peiores sunt, quam quae hieme et vere observantur, in climate frigidiore lenior, quam in calidior.

Dysenteria epidemica periculosior, sporadica. Aetas tenuior, provecta nimis, pubertatis instans periodus, graviditas, puerperium, corporis habitus debilis, valetudinarius, pusillanimitas, dysenteriae pericula augent, Complicatio cum peripneumonia est pessima, eodem modo vermes intestinales. Est, ubi prima dysenteriae epidemicae invasio quamplurimis sub fine vero paucis, lethalis sit. Inverso prorsus ordine haec res interdum evenit; vel et medio regnantis morbi tempore major erit hominum ja-ctura. Molimina critica, morbum levantia, bona; e contrario, si morbus idem remanet, mala.

Symptomata bona sunt: sudor calidus universalis, in quo cutis mollis, tractabilis et vaporosa fit; sedimentum urinae copiosum, si urina facile emittitur; fluxiones alvi rariores, copiosiores, stercoreae cum flatibus conjunctae Tumores glandularum, extremitatum aut pedum erysipelas, quod in supurationem transit, in dysenteria typhum nervosum praebente interdum crisin instituunt. Signa exitus mali sunt: si medicaminibus, quibus normaliter vomitum assequi studemus, diarrhoea efficitur, si ejectiones alvi non desinunt, si jam initio vomitus vehemens aegrotum non levans intrat, aut si vomitus quidem sero, sed vehementissimus se ostendit, et ex irritamentis minimis redit, dolorque augetur; si anus tam irritabilis est, ut clysmata applicari non possit; si excreta odorem malignum spargunt, item, si absque dolore, imo aegroti inscio educun-

tar. Urina maleolens, pharyngis panrfysis, tumor manuu oedematosus semper mala signa haberi possunt. Recidi. vas dysenteria faciliime facit, si cansa occasionalis ab aegrotis non vitatur, aut medicamina nimfs matnre repo- nuntur. Quo facto morbi secundarii facilo sequimtar, quae saepissime pejores, quan dysenteriae suut.

### CURA.

In tam diversis causis, quae dysenteriam inducunt, et morbi ipsius indole erui satis potest, non unam huie malo medendi methodum esse opponendam.

Cum dysenteria sit morbus periculosus et universa-lis, magni momenti est, omnes causas, quae ipsam gignunt, remove. Qua de causa, si epidemia regnat, sanos non solum tales causas vitare necesse est, sed etiam qui jam prima symptomata observant, diaeta consentanea pericn- lum adhuc avertere possunt. Atmosphaerae mutationibos, calori magno, humido et frigort se exponere non debeat, sed semper eandem transpirationem eutis Jeniter elicerc ac diu in, ea perseverare fas est. Prophylactica medica- mina non existunt, rarissime prophylaxin purgantia per- ficere possunt, quia intestina magis irritant, et eo ple-rumque nocent. Diarrhoea dysenteroides non diffirihs est ad coercendum, attamen si negligitur facillime in dy- senteriam transit, optime calore et diaeta consentanea domari potest, tum demuin opinm atque diaphoretica lenia sufficiunt. Opium quidem simplicissimum et optimum medicamen est, attamen in omni dysenteria, quoque tempore

ac omni morbi stadio iocnm habere non potest. Svint epidemiae, quae opio solo curandae sint, ac multi aegroti morbum non diu sustinerent, ni opio levarentur. Tum quoqne in morbi stadio vehementissimo sensorium fere minime opio afficitur, sed abdomen solum totum effectum arripere videtur. Dysenteria simplex quoque medicaminibus sedativis, opio, oieis ac mucilaginosi cedit, aut saltem emulsio spuria cum guttis aliquot tincturae opii simplicis vel laudani velociter fert auxilium, Si morbus jam altiorem gradum obtinet, doses parvae ipecacuanhae, pulvis Doveri ad gr. X. quatuor per diem, et clysmata ex amyio cum opio adhibenda suut. Quid magis symptomata spastica praedominantur, eo magis cura sedens locum habet, quae usu ciborum mucosorum, calidorum, e. g. decocti orizae, hordei, avenae excorticatae, salep, althaeae aut solutionis gummi mimosi juvari debet. Dysenteria rheumatica medicamina antirheumatica, id est diaphoresin elicentia atque dolores locales mitigantia, postulat. Potiones tepidae cum spiritu Mindereri, vinum antimonii cum tinctura opii non raro morbum tollere valent. Si sordes gastricae sursum turgescunt, initio morbi emeticum ex ipecacuanha convenit. Tartarus stibiatns in refracta dosi diaphoresin optime sustinere solet. Si symptomata rheumatica vehementiora sunt, opium cum mercurio vel cum antimonii praeparatis conjungi potest. Maxime valent ad cutem derivantia. Sinapismi ad pedes pluries iterati atque vesicantia non parum juvant. Quum dolores evanuerunt, ac febris non amplius

adest, tunc adstringentia diarrhoeam atonicam remanentem extinguant.

In dysenteria biliosa, saburrali, sordium biliosarum suburraeque eliminatio et hepatis irritabilitatis morbosae mitigatio omnem medici animadversionem in se convertunt. Si turgent sursum, intelliget quisque, quanti momenti quantaque utilitatis in hac specie sit emeticum, sin autem deorsum turgent, per laxantia expellere debemus, e. g. pulpa tamarindorum, manna, cremor tartari, calomelas hic locum obtinent. Dysenteria inflammatoria statim postulat methodum antiphlogisticam, quae inflammationi respondet. Initio morbi venaeseciones pro tempore iterentur atque hirudines abdomini applicentur. Interne laxantia, quia sunt antiphlogistica, partim quia sor-des educunt, adhibenda sunt. Quem in finem pulpam tamarindorum aut mannam, serius atque caute salia proponamus, atque ex salibus tantummodo illa, quae minime irritant. Externe fomentationes abdominis ex aqua tepida aut propter majorem consistentiam ex seminibus lini, balnea vaporea atque semicupia tepida, (si aegrotus lectum relinquere potest) utilissima sunt. Dum inflammatio adest, opium dari neesse est, rejecta autem ea vel saltem moderata, mercurio conjungamus, et quidem hac forma:



- R) Calomelanic gr. I  
 Ext. op. aquosi gr. quadrant.  
 Gummi arabici  
 Sach. albi aa gr. V  
 M, f. p. dent. tal. dos. N. VIII  
 D. S. omni bihor. pulv. sum.

Et si residua inflammationis evanuerint, opium purum in substantia aut in solutioe gummi arabici solutum porrigamus.

Si sensibilitas intestinorum non valde aucta est, etiam opium sulphuri aurato antimonii vel camphorae admixtum optime convenit.

Cura nunc sequens ea ceterarum dysenteriae speciesum est, attamen ad adstringentia ac tonica non tam velociter transeundum est, quia induratio intestinorum, obstructio alvi chronica et aliae inflammationis sequelae exoriri possunt. Si dysenteria in grangraenam transire minatur, locum idoneum habent styptica, e. g. acid. muriaticum, alumen crudum:

- R) Alum. crud. drachmas duas  
 Aq. destillatae uncias quatuor  
 S. ad clyisma.

Interne si diarrhoea non desinit:

- R) Extr. nuc. vomic. spir. gr. VI  
 Opii puri gr. II  
 Extr. cascarillae quant. s. ut  
 fiant. pil. N. XVI.  
 S. Per diem quatuor pil. sum.

In dysenteria putrida an symptomata inflammationis adsbit necne videodum est, quae per fomentationes abdominis, potiones mucosas ac nredicamina ex hydrargyro vel antimonio, aut etiam si morbns ab initio ad statnn putridum propendeat, per acida tollenda sunt.

Quibus peractis ad irritantia, roborantia et antise-ptica progredimur, quae jam prius iilis conjungete licet.

Si autem sordes desunt, omnia evacuantia tam eme-tica quam purgantia vitanda sunt, et statim ad antea no-minata nos convertere debemus. Ex praestantissinaiis me-dicamentis amica primum locura obtinet, etsi china, caia mus aromatipus, acida mineralia, camphora et vinum vi-tuperanda non sunt. In epidemiis interdum ex adstrin-gentibus puris maximum lucratum est, quod praesertim de tormentilla dicitur. His medicamentis tincturam optii aut opium purum conjungimus, non antem eodem temp-pore porrigimus. Hoc stadio quoqoc, si sensibilitas per-mittit, clysmata adstringentia, aromatica et antiseptica hibere possumus. Si status transit in meliorem, ad to-nica amara pura nos convertimus. Quum dysenteriaaoo putridam sed nervosam iudolem obtinet, statim opium cum valeriana, camphora, moscho porrigimus, clysmata etiam mucilaginoso. frictiones anodynae, balnea tepida, et alia morbis nervosis idonea praescribenda sunt. Quum inflammatio typhosa intestinorum perdurat, mercurius cum camphora et opio hanc debellare debet.

Auxilio adlato, ad tonica amara, ad ohinam, casc-

rillam transimus et curam per sunarubam, quassiam, tormentilam ac ferrum concludimus.

Haec medicamenta non aliter autem ac si debilitas sola adhuc remanet adhibenda sunt.

Si longum in tempus dysenteria trahitur, chronica nominatur. Si causa in disproportionem motionum intestinalium peristalticorum haeret, rheum dosi parva porrectum hanc removet. Si autem inflammatio chronica vel induratio est causa, praeparata mercuri et antiraonii maxime valent. Si affectiones nervosae ac spasticae hanc efficiunt, opium, valerianam, castoreum, flores zinci, camphoram porrigere debemus, si ulcera intestinum adsunt, lichen, isJandicus, foeniculum aquaticum indicata sunt. Plurimum autem facit diæta, quae ventriculura non onerat; alimenta facili concoctu, lac, decoctum sa-lep vel orizae porrigenda sunt. Aëria salina facile recidivam efficiunt.

Saepe autem cura finita longum per tempus debilitas intestinum remanet, quare phthisis et hydrops facillime sequuntur et quae medicaminibus tonicis tractanda est. Ad recidivas praecavendas aër frigidus, commutationes temperaturae, alimenta inutilia nec non affectiones animi, praesertim ira et indignatio, vitari debent.

## V I T A .

Ego Carolus Maria Bernardus Pross natus sum Monasterii Guestphalorum a. MDCCCXIV. patre optimo **Josepho**, et matre carissima **Eli-sabetha**, e gente **Wegehausen**, quibos ad-huc viventibus gaudeo. Fidem confiteor catho-licam. Primis literarum elementis domi imbutos, Gymnasium, quod ibi **Cel. Nadermann** dire-ctore floret, per quinque annos frequentavi.

Deinde adii institutum medico-chirurgicum, in eadem urbe t. t. direttore **Beat. Bodde** flo-rens et per quinque semestria has audivi prae-lectiones: anatomiam generalem et specialem **Cel. Tourtual** et **Cel. Riefenstahl**, etiam cada-vera rite secandi artem me docuerunt; botani-

cen et zoologiam **Cel. Becks**, physicen **Rev. Boling**, chemiam, materiam medicam, diaete- ticen **III. Bodde**, pathologiam ac therapiam tam generalem quam specialem **III. Busch**, chirur- giam tam generalem quam specialem **III. Clat-ten**, physiologiam **Cel. Heindorf**. Praeterea tunc per annum sub auspiciis doctissimi **Ru- dolph** in undecima equitum cohorte chirurgi militaris voluntarii munus obii. Examine quod dicunt abiturientium superato, ad celeberrimam literarum universitatem Fridericam Guilelman Rhenanam me contuli. Apud decanum specta- bilem facultatis medicae **III. Ennemoser** no- men professus, a rectore **III. Freitag** civium academicorum numero adscriptus sum. Scholas ipsas, quibus duo per semestria interfui, jam af- feram: **III. de Calker** de logice et psycholo- gia. **III. Wutzer** de anatomia chirurgica. Ce-terum adfui in exercitationibus clinicis medicis et chirurgicis **III. Nasse** et **III. Wutzer**. Bonna relicta, tempore autumnali anni MDCCCXXXVI Be-rolinum me contuli et ab **III. Heffter**, t.t. re-

ctore magnifico, inter cives academicos receptus, a decano uiaxime spectabili **III. Wagner** me-dicinae studiosis adscriptus sum. Per semestria tria hisce interfui lectionibus. **Cel. Kluge** de arte obstetricia. **III. Wagner** de medicina fo-rensi, **Cel. Troschel** de chirurgia speciali Praeterea interfui exercitationibus cliunicis medi-cis **Cel. Wolff** et **Cel. Truestedt**, chirurgi-cis **III. Rust** et **Cel. Dieffenbach**, opbthal- miatricis **III. Juengken**, obstetricia **Cel. Kluge**.

Quibus omnibus viris maxime de me mer-tis gratias ago quam possum maximas.

Jam teutaminibus, tam pbilosophico quan medico, et examine rigoroso coram gratioso Medi- corum ordine superatis, spero fore, ut disserta- tione et thesibus defeusis, summi in medica et chirurgia honores in me conferantur.

## THESES.

1. Anatomia, physiologia et pathologia generalis sunt fundamenta totius medicinae.
2. Quo debilior, frequentior atque mollior pulsus in pneumonia est, eo majus et periculum.
3. Fungus haematodes et fungus medullaris essentialiter inter se non differunt.
4. Facinus, quod raaniacus in iuvido intervallo committit, ipsi non ita imputandum, ut sano.